

tores, Clerici Camerae et Cubicularii in conjunctione alarum. Secretarii et Advocati sedent. Quod si numerus Cubiculariorum et aliorum inferiorum esset amplior, conduplicantur post primos alii, ita tamen, ut in primo circulo sint ex omni ordine aliqui post ipsos. E regione Papae sedent Procuratores quatuor Ordinum Mendicantium et post eos Procuratores aliarum religionum. Duo Cubicularii secreti sedent in terra ad partem sinistram haud longe a sede Papae ad pedes Episcoporum assistentium et inter eos medius Decanus Rotae serviens de Mitra et Secretarius Papae, si non est Praelatus. Medicus Papae sedet in capite gradus scamni Diaconorum Cardinalium ante Pontificis faciem. Caudatarii Revdss. Cardinalium sedent super gradus scamnorum ad pedes Dominorum suorum. Praelatus celebrans sedet in suo faldistorio prope cornu Epistolae. Assistens Capellanus ejus in gradu altaris penes Praelatum et ante eum Diaconus et Subdiaconus ministrantes. Serviens de Mitra post renes Capellani assistentis. Reliqui Ministri Celebrantis cum superpelliceis sedent super terram facientes alam a sinistra. Praelati et omnes praedicti vertunt faciem suam sedentes, ut vertit Celebrans. *Cathedra sive faldistorium Celebrantis, si locus patitur, semper debet esse apud sinistrum cornu altaris, hoc est, a latere epistolae.* Hoc enim cornu sinistrum voco respectu ipsius altaris, sicut est, dextrum vero, ubi legitur Evangelium. Qui aliter appellant, respectum habent ad Celebrantem, non ad altare. Nam unumquodque corpus dextrum latus habet et sinistrum. Sed Celebrans, dum cantat vel legit Officium Missae, vertit faciem ad altare, ubicumque sit. Dum autem sedet, si altare est apud parietem et tam Clerus quam populus sunt inferius, ut in capella Palatii et communiter in pleris-

que ecclesiis, tunc Praelatus sedens vertat faciem ad populum, et solium Papae tunc locari solet a parte Evangelii, id est a dextera. Si vero altare sit in medio a sede, id est, tribunae, Papa sedet in medio contra altare et Celebrans in cornu epistolae praedictae et vertit faciem ad sedem Papae, ut in s. Petro et multis ecclesiis urbis. Alii autem praeter supranominatos, quantumcumque Nobiles aut Graduali sint, non sedent in Capella apostolica. Laici stant, Clerici togati sedent in terra super pannos virides; sed in capella s. Petri et locis similibus, quia extremitates alarum conjungi non possunt propter altare, Cubicularii et alii inferiores sedent ad partem post primos in terra vel inter sedes Praelatorum ad sinistram et gradus solii pontificalis. Et nota, quod nullus omnino, cujuscumque ordinis sit, debet sedere solus. Si unus superesset Diaconus, sederet cum Presbyteris Cardinalibus. Si unus tantum adesset Protonotarius aut Abbas, sedebit post Episcopos et sic de singulis. Et hic est ordo sedendi in Capella apostolica. Alii autem Officiales, qui non sedent, hoc ordine stant.

*De illis, qui stant, ac primum de Magistro s. Hospitii et Scutiferis Papae ac minoribus Nobilibus.*

Magister s. Hospitii, quae dignitas, ut alias diximus, est in nobili domo Comitum, stat ante introitum scamnorum Cardinalium, id est, apud finem scamni Presbyterorum Cardinalium et post eum stant Magistri ostiarii cum suis virgis purpura tectis. Scutiferi Papae et minores Nobiles stant in ipso introitu scamnorum et post scamnum Presbyterorum Cardinalium.

*De Servientibus Armorum.*

Servientes armorum stant circa ostium cancelli capellae intus et extra,

servantes ostium cancelli, quamvis antiquis temporibus nullo pacto intrabant capellam, sed extra cancellum stabant omnes. Sed non est multum inconveniens, quod duo ex eis sint intus, dummodo contineant se apud ostium et non discurrant per capellam. Quod si aliqua mandata habeant ab extra ad dominos Cardinales aut aliquos, nutu vocent aliquem ex Clericis caeremoniarum et per illum mandata transmittant. Intra cancellos capellae non permittant intrare nisi illos, qui debent intrare; multitudinem stantium intra cancellos et scamna Cardinalium expellant, ita quod non occupent Praelatos neque conculcent Oratores. Dimittantur ibi tantum nobiles Scutiferi Papae et unus vel duo pro quolibet Cardinali. Clerici togati in terra sedeant aut extra mittantur. In capella non permittant sedere super scamna nisi Oratores et Praelatos consuetos; procurent, ut teneatur silentium, dum Sacra fiunt et maxime dum fit sermo et dum Cantores silent.

Rursus circa altare Clerici caeremoniarum circumstant et apud credentiam intenti et solliciti ad omnes actus, qui in capella fiunt.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. II. p. 345.)

#### 11) Capellanorum Basilicae s. Mariae Majoris. Romana.

S. Rituum Congregatio, inhaerendo decreto alias sub die 10. Novbr. 1667 lato ad favorem Joannis Baptistae Oliverii Coadjutoris Vincentii Grigi Capellani de Angelis in sacrosancta Basilica s. Mariae majoris de Urbe, iterum declaravit, competere Joanni Cruciani Coadjutori Caroli de Marchis Capellani Toletani in eadem Ecclesia s. Mariae majoris locum in choro praesente ejus Coadjuto, dummodo sedeat in ultimo

loco post omnes alios veros Capellanos, iisdem supervenientibus stallum dimittere et digniorem locum deferre et si sufficiant tantum veris Capellanis, omnibus iisdem praesentibus vel supervenientibus a choro discedere Coadjutorem teneri; et ita decrevit et servari mandavit.

Die 13. Junii 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1244 n. 2204.)

#### 12) Capellanorum Eccles. Colleg.

*Nullius Altamurae.*

Relata in S. Rituum Congregatione ab Emmo de Abdua controversia inter Canonicos ex una et Capellanos Collegiatae ecclesiae Altamurae Nullius provinciae Baren. super jure sedendi in stallis choralibus Canonorum immediate post Canonicos a Cappellanis praedictis praetense, eadem s. Congregatio, visis et auditis juribus tam in scriptis quam in voce ab utraque parte informantibus deductis respondit: *Licere Capellanis sedere in octo stallis superioribus Canonorum juxta solitum.*

Die 5. Martii 1695.

(Anal. J. P. 1865 p. 1353 n. 2560.)

#### 13) Celebrantis et Ministrorum.

Cf.: *Sedes Prioris; Sedes Dignit.; Vesp. Paroch.* (sedes.)

Diaconus et Subdiaconus sedere possunt cum Celebrante, dum cantatur a choro *Kyrie, Gloria et Credo*, et si dabitur tempus licebit eis etiam sedere, dum cantatur Epistola a Subdiacono et Graduale a Cantoribus. N. 15 ad 6 die 16. Martii 1591.

Indulgendum esse, ut Beneficiati Ecclesiae Cathedr. Perusinae, dum Missas solemnes celebrant cum Diacono et Subdiacono, possint et debeant sedere ad *Gloria, Epistola et Credo*. N. 436 die 15. Jan. 1611.

Quodsi SS. Sacramentum est in Tabernaculo inclusum, ita ut a populo non videatur, *potest* tolerari consuetudo, ut Clerici ministri altaris seu alii cum cotta concioni etc. interessentes, quibus alius locus non sit assignatus, sedeant in gradibus dicti altaris. N. 374 ad 12 die 15. Martii 1608.

Celebrantes Missam solemniter sedeant in loco parato pro celebrantibus a latere Epistolae. N. 687 ad 2 die 12. Junii 1627.

Tam in Missis de Sanctis quam de Feriis regulas Missalis in sedendo, stando et genuflectendo omnino servandas esse. N. 923 ad 6 die 5. Julii 1631.

Quum novissime aliqua ex parte reficeretur Colleg. Eccl. Oppidi Argentiniae Ravennat Archidioec. permutatum fuit altare, ubi in custodia asservatur SSimum Eucharistiae Sacramentum et dum prius existebat a latere ev. Arae principis illius Eccl., translatum est in praesentiarum ad latus ep. ejusdem, quae quidem translatio efficit ut in Missa solemniter Celebrans sacrique ministri, dum sedent, terga vertant Sacramento. Hac occasione nonnulli existimant sedem hanc a loco suo removendam et in parte altera collocandam, alii vero ex adverso pugnare retinendam esse solito in loco. Ad quaestionem omnem de medio tollendam humillime rogavit S. R. C. Capitulum ipsum, ut dubium dirimere dignaretur. Et s. eadem C. ad Vaticanas aedes Ordinariis in Comitibus coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit: „Sedes teneatur a cornu ev. juxta rubricae titulum XVII. §. 6 et aliquo modo provideatur decentiae debitae SSimo Eucharistiae Sacramento.“ Atque ita rescripsit servari mandavit. N. 4996. Die 7. Decbr. 1844.

*Ad dubium:* An Decretum S. R. C. diei 17. Sept. 1822 prohibens pro celebrante sedem cameralem loco scamni cooperti tapete, comprehendat etiam ritum dominicanum?

Emmi et Rmni P. . . . respondendum censuerunt:

„Affirmative.“

N. 4766 ad 2. Die 8. Aug. 1836. *De loco sedis Celebr. et Min.*; vd. *Instr. Clem. §. XXV. n. 1, 2. et pag. 666 et 668 n. 13.*

Sacerdos, Diaconus et Subdiaconus solemniter celebrantes possunt et debent sedere in banco, dum cantatur Gloria et Credo, etiamsi sint Beneficiati vel Capellani, prout sedent Canonici, non obstante qualibet consuetudine.

S. R. C. in Perusina 15. Jan. 1611.

#### 14) Celebrantis et Ministror. praesente Episcopo.

*S. Jacobi de Chile.*

*Ad dub.: An in missa solemniter assertae consuetudinis Canonicus celebrans ejusque ministri, praesente etiam Archiepiscopo, cum hic suam sedem non occupat, possint sedere in latere Evangelii ipso in loco, ubi sedes archiepiscopalis collocatur, quia fixa non remanet?*

*Resp.:* Ex dispositione Caeremonialis Episcoporum (lib. 1, cap. 13) sedes episcopalis, si collocari non possit in medio absidis, statuenda est in latere Evangelii, eaque, ut haec s. Congregatio in una Conimbrien. die 23. Maii 1603 declaravit, fixa et immobilis manere debet. Excepto autem Episcopo loci vel Legato Sedis Apostolicae nemo sedere ibidem potest, etiamsi adesset consuetudo; haec enim nimis contraria esset praescriptionibus rubricae et decretis hujus s. Congregationis. Rubrica enim Missalis romani tradens ordinem genuflectendi, sedendi et

standi in missa privata ac solemniter num. 5 haec habet: „In missa solemniter celebrans medius inter Diaconum ac Subdiaconum sedere potest a cornu epistolae juxta altare.“ Item Caeremoniale Episcoporum recensens in cap. 12. lib. I. ea omnia quae parari debent pro missa solemniter, cum Episcopus non celebrat, memorat: „Scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno ad latus epistolae, in quo sedeat sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono.“ Nec aliter statuit s. haec Congregatio in una Brundusina die 12. Junii 1627. Adeo autem voluit praefatam rubricae dispositionem sartam tectamque servari ut ne in casu quidem necessitatis ab illa recessit. Cum enim in ecclesia Collegiata oppidi Argentiniae Ravennatensis (vd. p. 668) Archidioecesis permutatum fuisset altare, ubi asservabatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, et dum prius existebat a latere evangelii arae principis illius ecclesiae, translatum esset in praesentias ad latus epistolae, quae quidem translatio efficit ut in missa solemniter celebrans sacrique ministri, dum sedebant, terga verterent Sacramento, hac occasione nonnulli existimarunt sedem celebrantis a suo loco removendam et in parte altera collocandam, alii vero ex adverso pugnabant retinendam esse solito in loco. Ad quaestionem omnem de medio tollendam humillime hanc s. Congregationem rogarunt, ut dubium dirimere dignaretur. Sacra vero Congregatio ad Vaticanas aedes Ordinariis in Comitibus die 7. Decembris 1843 coadunata rescribendum censuit: „Sedes teneatur a cornu epistolae juxta rubricae titulum XVII. num. 6 et aliquo modo provideatur decentiae debitae SSimo Eucharistiae Sacramento.“

Quae cum ita sint respondendum censuerunt: *Negative.*

*Ad dub.: Utrum, attenda consue-*

*tudine, Canonicis celebrantibus vel Archiepiscopo ministrantibus liceat sedere in sedibus cameralibus?*

*Resp.:* Usque ab ecclesiae primordiis cautum semper fuit ut sedes presbyterorum omnimode a sede episcopi essent distinctae. Hujus rei testimonium exhibent plura Conciliorum decreta, omnes libri rituales et evidentius etiam presbyteria veterum ecclesiarum. Neque hac in re a vetusta recessit praesens disciplina; dum enim Caeremoniale Episcoporum jubet (lib. I. cap. 13) sedem Episcopi in modum cathedrae constructam pannisque sericis contectam esse debere, presbytero missam solemnem concedit tantum (lib. I. cap. 12) *scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno.* Quaecumque itaque sede, quae formam cathedrae retineat, uti non possunt in ecclesia presbyteri; hinc reprobandum illorum est, qui dum missam solemnem celebrant in sedibus cameralibus sedendi jus sibi arrogant. His quippe non utuntur neque praelati romanae curiae neque Canonici patriarchalium et aliarum insignium ecclesiarum, quinimo nec ipsi Episcopi extra propriam dioecesim. Hae autem consuetudo a S. Rituum Congregatione rejecta semper est ac reprobata et praesertim in una Turritana die 19. Maii 1614; in una Cajetana die 22. Novembris 1643; in una Regina ten. die 31. Julii 1665, et tandem decreto die 17. Septembris 1822, in quo jussu Pii VII. sa. mem. mandatur locorum Ordinariis, ut stricte hujus decreti observantiam urgeant. Scio equidem s. hanc Congregationem in una Caesenaten. die 29. Martii 1659, attenta consuetudine legitime praescripta, Canonicis missam solemnem extra Cathedrali celebrantibus usum sedium cameralium permisisse. At huic decreto inniti non posse Canonicos Dioeceseos s. Jacobi de Chile facili ra-

tione ostendi potest. Illud enim in primis latum fuit pro Canonicis missam solemnem extra Cathedralē celebrantibus, deinde post decretum diei Septembris 1822 in Dioecesi tantum Caesariensi vim habet.

Quod si, ut ostendimus, Canonici missam solemnem celebrantes sedere non possunt in sedibus cameralibus, id multo minus ipsis licebit, cum Episcopo ministrant in officio Diaconi et Subdiaconi. Et sane Caeremoniale Episcoporum (lib. 1, cap. 9) jubet Diaconum et Subdiaconum Episcopo ministrantes *in scamno alieno parato in cornu epistolae sedere*. Non itaque ipsi graventur sedere in scamno parato, dum Diaconus in missa solemni Summi Pontificis, licet cardinalitia fulgeat dignitate, in nudo scabello sedet.

Hinc propositum dubium solvendum crederem: *Negative*.

S. C. resp.: In voto Magistri Caeremon. Die 16. Apr. 1861.

(Anal. J. P. 1861. p. 782.)

#### 15) Celebrantis et Ministror. cor. SSmo.

Vd.: *Sedes Dignit. et Canon.* (ad Altare); *Sedes Diaconi et Subdiaconi*; *Instructio Clem. §. XXV.* n. 1 et 2, 3, 4, 5, 6 etc.; *Sedes Celebr. et Ministr.* (decr. n. 374); *Sedes cor. SSmo*; vd. pag. 668 n. 374; pag. 673. e.

Quando in sol. Process. Corp. Chr. Processio sistit, Sacerdos celebrans, Subd. et Diaconus non debent sedere neque in scamno neque in sedibus.

S. R. C. 21. Jan. 1690.

#### 16) Celebrantis solius.

##### S. Miniati.

S. R. C. requisita a Capellanis Ecclesiae s. Miniati: an ex eis alter, qui celebrare debet Missam cum cantu in ipsa Cathedrali, absque tamen s. Ministrorum assistentia, possit sedere in scamno diverso ab illo, in quo sedere

solent Canonici cum assistentia s. Ministrorum, dum decantantur *Gloria, Credo et Sequentia*, quamvis hujusmodi sessio hucusque in memorata Cathedrali locum non obtinuerit; ad relationem subscripti Secretarii in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: „Affirmative, dummodo sedeat in scamno diversimodo ornato seu remissiori apparatu ab illo, qui Canonicis exhibetur.“ Atque ita servandum censuit. N. 5205 die 12. Aug. 1854.

##### Theanen.

Cum Episcopus Theanen. gubernatoribus et oeconomis ecclesiae SSmae Annuntiatae civitatis praedictae prohibuerit, ne imposterum in diebus solemnibus celebrantes in sedibus cum suppedaneo, tapetio et appodio sedere facerent, gubernatores et oeconomi praedicti ad S. Rituum Congregationem habito recursum pro concessione litterarum remissorialium ad probandam consuetudinem sedere faciendi celebrantes eisdem modo et forma, ut supra expressis, institerunt. S. eadem Rituum Congregatio ad relationem Emmi Pamphili Pontentis, prius visa relatione Episcopi, cui pro informatione scriptum fuit, nec non auditis tam in voce quam in scriptis tum Episcopo tum gubernatoribus et oeconomis praedictis: *Servetur Caeremoniale*, respondit et ita decrevit et servari mandavit.

Die 17. Decembr. 1695.

(Anal. J. P. 1865, p. 1258. n. 2583.)

#### 17) Cleri.

##### a) In Cathedrali.

Presbyteri communales terrae Centi aequaliter sedere debent sed post Canonicos Cathedr. N. 3224 ad 2 die 10. Junii 1690.

*Ad dub.*: An Priori Collegiatae Ecclesiae s. Venantii, occasione accessus capitulariter ad Ecclesiam Cathedralē, debeat locus in presbyterio ejusdem Cathedralis?

Et S. R. C. respondit: *Negative*.

Et ita decrevit ac servari mandavit. N. 3877 ad 1. Die 11. Maii 1715.

*Ad dub.*: An intervenientibus Archiepiscopis aliisque de Clero trium Ecclesiarum paroch. (civitatis s. Severi) in choro Cathedralis, sedere iidem debeant in stallo Abbatum Beneficiorum capituli seu potius in alio scamno inferiori?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem post Abbates Beneficiatos; negative ad secundam. N. 4262 ad 3 die (13. Mart.) 18. Decbr. 1756.

Cf.: *Sedes Dignit. et Canonico. Processio* (clerus).

##### b) Sine habitu choralis.

In stallis canonicalibus non decet tempore divinorum officiorum residere eos, qui non sunt in habitu choralis. N. 3597 ad 10. Die 10. Sept. 1701.

##### c) In Choro.

##### Romana.

Ab anno 1847 exorta quum fuerit controversia inter Capitulum Patriarchalis Basilicae s. Mariae majoris et Capitulum Collegiatae Basilicae s. Marci de Urbe super jure sedendi in choro ipsius Collegiatae s. Marci in die ejusdem s. Evangelistae occasione Litaniarum majorum, eaque tandem ad S. Rituum Congregationem delata, huic in ordinariis comitiis ad Vaticanum coadunatae die 29. Martii superioris anni 1851 disceptandum propositum fuit sequens inter partes formiter concordatum dubium, nimirum: *An et cui debeantur sedes chorales a cornu epistolae in Ecclesia s. Marci die 25. Aprilis in*

*litanis majoribus?* Quamvis autem tunc ab utraque parte multa adducta sint ut jus suum tueretur, placuit tamen Emmis et Rmmis Patribus sacris tuendis ritibus praepositis iudicium differe atque alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris votum ex officio requirere. In novo itaque ordinario coetu hodierna die ad Vaticanum pariter habito iterum proposita quaestione ab Emmo et Rmmo et D. Card. Aloisio Lambruchsini Episcopo Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, ejusdem s. Congregationis praefecto, hujus causae relatore, una cum voto ex officio Magistri Caeremoniarum sacra eadem Congregatio rescribendum censuit in terminis queis fuerat dubium concordatum, nimirum: *Durante Missa ad Capitulum s. Marci, deinde ad Capitulum s. Mariae majoris.*

Die 10. Januarii 1852.

Quum autem SSmo Dmo. nostro Pio IX. Pontifici maximo per me subscriptum Pro-Secretarium fidelis facta fuerit super expositis relatio, Sanctitas Sua rescriptum s. Congregationis confirmans mandavit ut Capitulum s. Marci excipiat Praesulem celebrantem, necnon missae celebrationi assistat in suis sedibus, celebrantem ipsum comitetur ad sacrarium, eumque ad altare reverentem associet ad ostium usque sacrarii. Dum autem universus Clerus processionaliter discessit, tunc Capitulum ipsum s. Marci suam perficiat processionem: et assistentiae Missae ut supra et processioni Sanctitas Sua voluit ut assignata sit praesentibus distributio quotidiana respondens matutino cum laudibus et hora minori Prima, quae ex apostolico indulto locum non habet eadem die intuitu processionis solemnis. Contrariis non obstantibus quibuscumque, praesertim peculiaribus concessionibus super re jam datis. Die 15. recensitis mense et anno.

## Montis Pessulani.

Quum D. Flottes olim Archidiaconus et Vicarius Generalis in Dioecesi Pessulan. Sacrorum Rituum Congregationem rogarit, ut declarare dignaretur: An Episcopus inconsulta s. sede possit, omissis tenore et die tituli, inter Canonicos honorarios, quos in Cathedrali sua habet, nonnullos deligere, ut jus inserviendi Episcopo celebranti, quod ex institutione competit omnibus Canonicis honorariis, illis solis tribuat atque jus sedendi ante alios illis vel recentioribus conferat? Haec in ordinariis comitiis ad Vaticanum bodierna die coadunata rescripsit: *Ex consuetudine non posse.*

Die 10. Januarii 1852.

(Anal. J. P. 1853 p. 1427 et 1429.)

## Pisana.

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. De ref.)

In primatiali Ecclesia Pisana consueverunt Capellani, dum divina officia peragunt, in choro ordinario sedere, non quidem omnes, sed ex iis aliqui immediate post Canonicos in eadem linea in iisdemque subselliis, in quibus assident Canonici; non tamen ad ea aditum ingressumque habent ex eodem loco, ex quo ingrediuntur Canonici. Ceteri vero Capellani, qui talem sessionis locum capere nequeunt ob subselliorum numerum imparum omnes sedent in ordine inferiori.

Aestivo autem tempore, cum Vesperae recitentur in alio Ecclesiae loco solaribus radiis minus obnoxio, tunc omnes Capellani consident in linea et ordine inferiori. Hoc quoque ipsum servatur, dum quotannis in Dominica in Albis, adstante Archiepiscopo et Clero, ostenduntur populo sacrae reliquiae in praedicta ecclesia asservatae.

Praeterea, dum conciones habentur in Adventu et in Quadragesima, Ca-

nonicis, qui iis intersint, destinata sunt subsellia superiora et viridi panno ornata. Omnes vero Capellani sedent in linea inferiori ante ipsos Canonicos et in nudis subselliis: quae sane sessionis norma adhiberi itidem solet in Synodis, prout haec omnia refert in literis ad hanc s. Congregationem datis Archiepiscopus.

At nuper mutua inter Canonicos et Capellanos quaestio suborta est. Canonici enim contendunt, non licere ulli ex Capellanis in choro ordinario sumere sibi sessionis locum in eadem linea, in qua assident ipsi Canonici, sed omnibus Capellanis injungendam esse sessionem in subselliis inferioribus, prout haec sunt iis assignata seorsim a Canonicis, tam in choro aestivo quam in omnibus aliis functionibus, quae in ecclesia peraguntur. Talem quoque eminentiorem ac distinctum sessionis locum dicti Canonici sibi debere existimant et concedi consuevisse affirmant extra Ecclesiam primatiale, videlicet in aliis ecclesiis, quas adire solet omnis Clerus ex causa Processionum.

Plures ad eam honorificentiam sibi vindicandam circumstantias exponunt.

Hyemali quippe tempore utuntur Cappa magna rubea, aestivo autem Mozzetta ejusdem coloris supra Rochettum. Jus habent conferendi Capellanas vel instituendi Capellanos, quos Patroni praesentaverint vel quibus collatio facta fuerit a Sede apostolica.

Omnes Capellani in ingressu spondent interposita jurisjurandi religione se obediens fore Capitulo et Canonicis eisque juxta eorum statuta, consuetudines et ordinationes, in divinis officiis deservituros debitumque honorem et reverentiam exhibituros. Jus denique Canonice est eligendi quotannis et confirmandi caput Capellanorum, quod vocant *Magiscola*.

Ex diverso autem Capellani imitantur veterem morem, qui supra relatus fuit, circa ordinem sedendi in choro ordinario; indeque inferunt, eandem esse servandam normam sessionis aliis in locis et functionibus ecclesiasticis; prout consuetudinem sibi favere contendunt, quando Clerus in generalibus supplicationibus alias ecclesias ingreditur.

Tria itaque, quae sequuntur, dubia proponuntur disceptanda:

1. *An liceat Capellanis Beneficiatis primatialis Ecclesiae Pisanae sedere in choro ordinario immediate post Canonicos et in eadem linea?*

2. *An id ipsum liceat eisdem Beneficiatis in choro aestivo?*

3. *An idem sit servandum in omnibus sacris functionibus peragendis a Capitulo et Canonicis cum interventu eorumdem Beneficiatorum in omnibus aliis ecclesiis civitatis in casu?*

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative juxta modum, videlicet quod genuflexoria Canonicorum ornentur panno viridi, nec ea, licet vacua, possint a capellanis occupari; ad 2 et 3: Negative.

Die 2. Junii et 18. Aug. 1731.

Vd. *Processio* (clerus).

d) Cleri regul. in Collegiata.

Occasione sol. processionis fieri solitae in festo ss. Conceptionis PP. conventuales civitatis Valentiae Dioec. Papian. habere debent solitum locum in choro et stallo Collegiatae a cornu epistolae ibique honorantias solitas recipere sed post Canonicos etiam non interveniente Praeposito. N. 4008 ad 2 die 5. Mart. 1732.

e) In processione.

*Ad. dub.*: An celebrante Archiepiscopo seu solum assistente vel etiam

ipso absente liceat Subdiacono associanti crucem Capituli nec non Sacerdoti celebranti ac Diacono et Subdiacono ipsi assistentibus in process. SS. Corp. Chr. adducere facere post se scabella seu sedes ornatas brachiis, in quibus soleant assidere?

S. C. resp.: *Negative*, etiamsi deferantur ad ornatum tantum. N. 3201 ad 4 die 21. Jan. 1690.

Cf.: *Sedes in Process.*; *Instr. Clem.* §. XXI. 9. 10. Vd. pag. 670 n. 14.

f) Cor. SSmo expos.

*Ad relationem*: quod in Ecclesia s. Laurentii Toletanae consueverunt omnes Monachi atque etiam Collegae saeculares Seminarii ejusdem Monasterii audire conciones sedendo in gradibus altaris majoris, terga vertendo SSmo, sit vel non sit expositum. Quaeritur: an haec consuetudo sive corruptela debeat tolerari?

S. C. resp.: *Negative*. N. 4505 ad 3 die 20. Sept. 1806.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXV. n. 1 et 2. etc. 6 etc.; §. XXVII. n. 7. *Biretum cor. exp.* SSmo. (decr. n. 4469); *SS. Sacramentum* (detectio cap.); vd. p. 668 d. n. 374.

g) In Synodo.

*Ad. dub.*: An Canonici Metrop. Urbini in Synodo possint sedere in scamno duorum graduum?

S. C. resp.: Posse in hoc casu, dummodo sedes Archiepiscopi sit elevatior. N. 3549 ad 4 die 23. Jan. 1700.

*Ad. dub.*: An Canonici Metr. Urbini debeant omnes sedere ad dexteram Archiepiscopi vel potius hinc inde ad dext. et sinistram?

S. C. resp.: Servetur forma praescripta a Caerem. N. 3549 ad 5 die 23. Jan. 1700; n. 3563 ad 6 die 22. Maii 1700.

*Ad dub.*: An in Synodo dioeces. Capitulum et Clerus Cathedr. sedere debeant intra Presbyterium hinc inde a lateribus Episcopi vel extra Presbyterium ante Episcopum in forma semicirculi?

S. C. resp.: Synodus fiat extra Presbyterium, et quoad secundam partem circa sessionem: arbitrio Episcopi. N. 3559 ad 1 die 8 Maii 1700.

*Ad dub.*: An intelligi debeat de semicirculo perfecto et rigoroso an vero satisfactum censeatur dispositioni Caer. Ep. l. I. c. ult., si Canonici Cath. occupent faciem anteriorem ex utraque parte?

S. C. resp.: Satisfieri, si occupent faciem anteriorem ex utraque parte. *Ibid.* ad 3.

In casu, quo Canonici Cathedr. sedere debent extra Presbyterium, Canonici Coll. sedere debent post terga Canoniorum ex una tantum parte a dexteris. *Ibid.* ad 4.

Sedilia Canoniorum Cathedr. debent esse elevata a pavimento per unum gradum sed non sedilia Canoniorum Colleg. *Ibid.* ad 5 et 6.

Canonice Cathedralis non competere scamnum seu altiorem locum nisi in Synodo. N. 3601 die 1. Oct. 1701.

*Ad dub.*: An in Synodo Neapolitana et in aliis publicis functionibus faciendis in civitate debeat praecedentia Praeposito et Canonice Collegatae vel potius parochis?

S. C. resp. sub die 12. Julii 1727: „Dilata et ad mentem; mens autem fuit, quod exquireretur observantia aliarum Dioecesium et modus etiam, quo in civitate Neapolis ordinantur processiones.“ Ad iterum propositum hoc dubium S. C. resp.: Affirmative

ad primam partem, negative ad secundam. N. 3994 die 9. Decembris 1730.

*Ad dub.*: An et qui locus debeat Canonice Collegatae Surrenti ad Cathedralis accedentibus occasione Synodi?

S. C. resp.: Serventur notata per Gavantum in praxi c. 13. n. 10. titul. de Synodo. N. 4094 ad 7 die 11. Julii 1739.

*Ad dub.*: An Canonici Cathedr. Casalen in Synodo possint uti sedibus cum brachiis vel potius uti debeant scamnis a pavimento elevatis per unicum gradum aliquo panno coopertis et possint etiam Canonice Colleg. uti iisdem scamnis absque tamen dicto gradu, aliquo panno vero coopertis?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; ad tertiam affirmative; et quoad colorem, arbitrio Episcopi. N. 4226 ad 5 die 15. Julii 1752.

Sedes Canoniorum Cathedr. coopertantur aliquo panno viridi; item sedes Canoniorum Colleg. N. 3559 ad 7 et 8 die 8 Maii 1700.

In provincialibus Synodis sedilia disponuntur capacia pro numero Episcoporum, Abbatum aliorumque ecclesiastica dignitate fulgentium; item pro Canonice ac etiam pro Laicis, si qui interfuturi sunt. Sedes Metropolitanis collocabitur apud altare et ante faciem ipsius sedilia Episcoporum per gyrum, deinde conduplicatis sedibus post Episcopos caeteri proximiores vel remotiores pro graduum diversitate.

In dioecesi. Synodis, quia non interveniunt Episcopi, disponuntur Dignitates et Canonice Cathedr. parati hinc inde a lateribus Episcopi vel ante Episcopum semicirculum facientes.

Caer. Ep. l. I. cap. XXI. n. 7—9.

## 18) Coadjutoris Canonici.

Vd.: *Coadjutor.*

Neritonen.

Stephanus Guerrerius novissime provisus de coadjutoria Archidiaconatus Neritonen quaesivit a s. Rituum Congregatione, quo in loco debeat ipse sedere, absente Archidiacono coadjuto; item an ad ipsum spectent functiones, quas faceret idem Archidiaconus, si praesens esset. Eadem s. rituum Congregatio, Illmo Cardinale Crescentio referente, censuit Coadjutori competere locum seu stallum, in quo sederet Archidiaconus coadjutus, si praesens esset, nec non ad eundem coadjutorem spectare functiones, quas obiret idem Archidiaconus, si adesset.

Die 12. Octobris. 1619.

(Anal. J. P. 1863 p. 157.)

Papien.

Quaesitum fuit: an coadjutor mortuo coadjuto retinere possit eundem locum in choro, quem habebat coadjutus?

Et s. Congregatio juxta alias resoluta respondit: Coadjutorem mortuo coadjuto, ultimum locum inter Canonicos habere debere, nec ei suffragari in hoc possessionem captam tempore coadjutoriae.

Die 16. Aprilis 1639.

(Anal. J. P. 1863 p. 271.)

## 19) Pro concione audienda et extra eam.

Sedes pro audienda concione ita debent aptari, ut aliis retro stantibus ad visum Praedicatoris non officiant.

S. Congregatio in Faventina die 11. Aprilis 1601.

Sedes non debent esse in ecclesia extra tempus concionum; s. Congregatio Episc. in Januen die 7. Aprilis 1583; maxime si sint occasio scandali. S. Congregatio Episc. in Cirenina die 24. Septembris 1585; nisi sint lapi-

dae vel etiam lignae parietibus adhaerentes. Sacra Congregatio Episc. in Sarzan. die 21. Novembris 1600 et 28. Febr. 1601.

Cf. *Sedes* (situs, Dignit. etc.)

## 20) Confessionalis.

Vd.: *Visitatio de Poenitent.*

a) In Eccles. confraternit.

*Ad dub.*: An in ecclesia seu capella confraternit. B. V. M. 7 dol. Maratheae ad recipiendas sacramentales ipsorum ac etiam mulierum et aliorum confessiones retineri valeant sedes confessionales?

S. C. resp.: Affirmative de licentia Episcopi exceptis mulieribus.

Die 15. Julii et 12. Aug. 1747.

b) In oratoriis confraternit.

Quod spectat ad facultatem excipiendi in oratorio confraternitatis sacramentales confessiones, animadvertere praestat, quod in statutis cl. me. Card. Cerri, quando loquitur de officio Capellani, eidem onus injungitur: di confessare et administrare la sagrosanta Eucharistia a chi si vorra in in detto nostro oratorio confessare, e comunicare, pero con licenza del Signor Arciprete, che sara pro tempore, et s. Congr. in Cassanen. praeter alia praeposito IV. dubio: An in ecclesia seu capella praedictorum Confratrum ad recipiendas sacramentales ipsorum ac etiam mulierum et aliorum confessiones valeant sedes confessionales retineri? Die 12. Augusti 1743 respondit: Affirmative de licentia Episcopi exceptis mulieribus.

S. C. C. die 14. Sept. 1782. *Ferrarien.*

Vd.: *Orat. priv.* (missa in variis etc., Constitutio Bened. XIV.) *Orat. publ.* functiones etc. praecipue t. II. p. 499 n. II.)